

cogitationibus ita angit, coquit, & vexat, ut omnis hilaritatis obliviscatur. Atq; hæc nefarię cogitationes adeo astute, repentinę, pestilentes vehemētesq; sunt, ut ne ad momentum quidem ab illis liceat otiari. Qua causa B. Paulus ad Eph. 6. illas appellat *ignea tela nequissimi*. Quemadmodum n. publicus hostis urbem aliquam igni affligit: sic diabolus miseras animulas infernalibus suis cogitationibus vexat & discruciat. Imo sicut telum veneno delibutum exquisitissimo cum dolore vulnerat: ita ignea tela diaboli dictu & omni externa calamitate majorē fidelium animis inferunt cruciatum. Quę cum ita sint, libet quædã consolationum capita adversus hujusmodi occultas, internas & molestissimas tentationes annotare.

I. Quod dictū Christi huic capiti à nobis præfixum attinet, palam est ipsum admodum patheticè & cum sincera fideliqu; condolentia ea verba protulisse: unde consequenter certum est hujusmodi tentationes non esse signa irę aut execrationis divinę, & quia Deus exitium nobis struat animamq; nostrā diabolo tradiderit; sed potius virgam acerbam per quā Deus hominē humili-